

alia creasse, i. e. cum caelo solem lunam astra, cum terra arbores plantas paradisum.¹ Tali doctrinae ex singulis litteris pendenti non iam probari potuisse versionem LXX multis locis adeo liberam quis miretur.

4. Propterea Iudei illius aetatis novam Veteris Testamenti versionem effecerunt. Aquila quidem, proselytus graecus et Akibae discipulus, omnes particulas textus sacri quam potuit accuratissime in linguam graecam vertit eius linguae ratione omnino neglecta.

Cuius rei optimum exemplum ipse primus Bibliorum versus. Quem versio LXX recte secundum linguam graecam interpretata erat: ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ θεός τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν. Quae versio Aquilae longe videbatur abesse a litteris. Nam cum vocabulo ἀρχή origo vocis **רָאשִׁית** non exprimeretur, Aquila vero omnia vocabula hebraica secundum originem accurate studeret vertere, **רָאשִׁית** ut derivatum a **רָאשׁ** (=κεφαλή) vertit per κεφάλαιον, quamquam κεφάλαιον non significat „initium“, sed „summam“ vel similia. Etiam optimum illud graecum ἐποίησεν Aquilae non usui erat, nam cum varia verba hebraica etiam graece varie verteret, verbo ποιεῖν autem verteret hebraicum **הַשְׁעָנָה**, pro **אֶרְאָבָן** aliud verbum quaerens invenit κτίζειν, quo verbo etiam versio LXX saepe **אֶרְאָבָן** verterat. Sequebatur in LXX ὁ θεός = **אֱלֹהִים**; Aquila omisit articulum, quod in hebraico textu deerat.² Denique versio LXX ferebat τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν; Aquila, ut etiam **תְּאֵן** graeca voce redderet, scripsit σὸν τὸν οὐρανὸν καὶ σὸν τὴν γῆν, auctore videlicet magistro Akiba, quem supra ostendimus **תְּאֵן** voce σὸν interpretatum esse; ceterum affirmemus (alii antea eam rem parum accurate docuerunt) multum abesse, ut Aquila semper **תְּאֵן** voce σὸν interpretetur, sed tum demum, cum in textu hebraico **תְּאֵן** praecedit articulum; cum **תְּאֵן** hebraicum praecedit vocem sine articulo, exempli causa in statu constructo positam vel nomen proprium, Aquila vertit **תְּאֵן** graeco articulo.³

Alia exempla artem vertendi Aquilae signantia ego collegi Mitt. d. Septuaginta-Unternehmens 1 p. 240 adn. 2. Ibi ostendi Aquilam derivata ex eadem radice hebraica, etiamsi plane eadem significant, variis vocibus ex eadem radice graeca derivatis vertere e.g. 1) **אֲמָר** vel

¹ J. Derenbourg, Essai sur l'histoire et la géographie de la Palestine 1 (1867) p. 396 adn. 4.

² Antea etiam apud Aquilam legebatur ὁ θεός, sed fragmentum papyri non repertum omittit articulum, cf. Mitteilungen des Septuaginta-Unternehmens 1, p. 344 adn. 1.

³ Mitteilungen des Septuaginta-Unternehmens 1, p. 343. 347.